DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,*

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die jovis quartâ mensis Januarii, anno Domini M. DCC. LXX.

M. AMBROSIO-AUGUSTO BELANGER,

Doctore Medico, Præside.

An in Febre Malignâ Balneum?

I.



EBRIS malignæ nomen apud veteres Medicos fere nullum, apud recentiores semper & ubique pleno ore prædicatum, apud clinicos non minimas gignit ambages. Quid etenim illa sit toties decantata febris maligna? quis typus? quæ indoles? quæ causa vere genuina? qui curationis modi? An sit genus morbi novum à cæteris quos novimus morbis absolute distinctum? An tantum species morbi acuti & etiam per acuti? An tandem sit potius quid morbis cognitis & ubique obviis super additum, unde ipsorum symptomata intenduntur, nova procreantur, œconomia animalis diversimode labefactata pene subvertitur; nondum est clare & distincte definitum. enim vero scriptores revolve. Si quid, data occasione, de febre malignâ, quasi per transennam, potiusquam ex professo scripserunt, nil de ipsius naturâ & essentiâ, nil de genio & indole propriâ, nil de causâ verè procatharticâ & genuinâ, nil de curandi methodo per indicationes ex ipsius morbi & causarum naturâ petitas, proponunt; sed generalia tantum quæ sæpe sæpius ad rem non pertinent; vel species quasdam potius morbi, quem dixerunt maligni, sive partem pro toto describunt: unde omnes fere morborum species ex putredinis & malignitatis præjudicatâ opinione denominatas videbis, sub pestilentialis, putridi, exanthematici, epidemici morbi nomine.

Quis in tantâ cognitionum certarum penuriâ audeat nodum quæstionis resolvere? Saltem veri & humanitatis amici est quæ vidit candide exponere. Quid incogniti, quid inexplicabilis. a quo omnia procedunt morbi phænomena, ex toto ipsius tenore; decursu & genio subesse fatendum est: quomodo agat in producendo morbo & effectibus forte explicare difficillimum; primarias rerum causas felix qui potuit cognoscere; de stricto & laxo, de humorum hipotheticâ quâcumque sincrasiâ liceat ad libitum disputare; tradidit talia Deus disputationi hominum; quædam quidem explicant systemata, sed nil quicquam demonstrant, & ad praxim non attingunt quidem. Non enim suas habet indicationes ab hypothesi quâcumque, Medicina, sed tantum ex naturâ morbi idiopaticâ, ex theoriâ certâ, & physicè demonstratâ, ex affectibus solis in se & suâ causâ consideratis. Hoc porrò unum necessarium medico ad curandum, ægro ad convalescendum: Igitur omisso quidquid non est de febris malignæ naturâ individuâ, omisso omni symptomate non pathogonomonico, omnes morbos dictos malignos, non pro totidem morbis sed pro speciebus generis unius, licet effectus diversissimi esse possint, collectivè animo concipe; hic fiat, quod in omni morbo

* Aut, M. Hugone GAULTHIER 1767, nova edit. auctior & emendatior.

maxime composito & intricato faciendum docet ratio & intellectus communis. Scilice in principia sua, in vitia simplicissima, in partes unde coalescit, morbus quem dicit malignum, resolve: si partes forte non noveris, causam & symptomata in se considera singulatim interrogata, & simpliciter, quid sibi conveniat, quid agendum natura ipsa, declarabit. Sic cuique vitio primario, cuique causæ, cuique symptomati quæ noveris, simplicissima indicatio rei agendæ proxima, ipsisque remedium quasi specificum adaptetur simplicissimum, hæc interse sedulo pensitentur, interse comparentur, ut quid primo, quid secundo ordine agendum sit, absque ullo errandi timore, secure determinetur. Quod pluribus satisfacit, cætera non augens, ante omnia prescribatur. Sic verum à falso, lucem à tenebris habebit sagax prudensque Medicus, naturam solam interrogans, ipsi soli obsequiosus; sic si forte, ob perversam morbi naturam, non curat, non levat, saltem nocebit minime.

II.

MORBUS autem malignus, si nomen admittas, is solus dicendus est, qui è genere acutorum & febrilium morborum, cum aliquali virium prostratione, sub levioris morbi specie, gravia quæque & pessima quasi in sinu recondens; subitò & ex improviso diffundit & explicat; Nil etenim in primo morbi insultu mutatum apparet, nec in pulsu, nec ullo se habendi modo; si Tamen attendat ad omnia Medicus, symptomata inter se non consonant, febris intensitati non respondent, virium prostratio major, quam foret expectandum, mens sibi non absolutè constat; hæc præcipuè in omni morbo, qui maligni quid pretendere videtur, observare licet. Morbus vere anomalus est, solâ suâ irregularitate regularis, inconstantiâ constans, ex omni classe, ex omni specie & genere morborum quasi depromi videtur, omnium caracterem mentiens, nullius vere servans intactum; proteiformis morbus, vix unquam sibi similis. Sub est quid absconditum, ut diximus, cujus nos fugit naturâ, à posteriori tantum cognoscendum; ab ipso vigent omnia phænomena morbi phases & eventus; ipsius est quasi de genio gravia producere, independenter ab omni causâ, etiam à febre & à morbi naturâ quem præcipuè videtur affectare, atque, ut verbis veterum loquar, est quasi morbus sine materiâ. A posteriori tantum licet suspicari illud absconditum, quod, mutato nomine, malignum placuit vocare. Ipsius effectus sine ullâ gradatione, sive ullo inter se ordine, quo in omnibus morbis solemne est, subito sese manifestant. Mentis animique functiones peculiariter labe factare videtur, genusque nervosum, & nervos diversimode afficere; crisi semper terminatur febris hujuscemodi, sudore, urinis, alvi excretionibus, expectoratione, aut quod frequentiùs accidit, factâ metastasi in glandulas inguinum, axillarum aut etiam parotidum; cutis aliqua eruptione miliari, morbillosâ, variolosâ petechiali, sæpe etiam paulo ante mortem crisis hujusce modi instituitur, malo semper omine, & pessimis ægri rebus.

Clarioris doctrinæ gratiâ liceat quasdam ponere differentias, ad quas omnes febris malignæ species huc usque observatæ reduci possint, quantùm in re tam obscurâ, potis est. Primo loco ponenda videtur quam à dissolutione humorum dicebant veteres, estque, à fermento quodam putrido & corrosivo, unde functiones omnes labefactantur, fluida degenerant, solida eroduntur, gangræna, destructio mors, una cum vitali liquido, jam lethali facto, ubique disseminantur. Hanc sane febrem malignam per se, & ex naturâ suâ, licet dicere peste pejorem. Huc reduci possunt omnes febres petechiales, sudores sanguinei in quibusdam febribus observati; exanthemata mali moris, sponte ad gangrænam vergentia, sive ante, sive post mortem erumpant, malo semper eventu, hujus memorabile exemplum mecum communicare dignatus est. M. BERCHER, Decanus noster meritissimus. Cum in Italiâ propè Regiam Hispaniarum Infantem medicinæ navaret operam, juvenis quidam oblatus est febre malignâ decumbens. Tempestas anni valde calida erat. Huic lumbago ita dolorifica, ut vix, topicè administratis narcoticis, potuerit sedari; nulla tunc saburræ signa apparebant. Postridiè verò maximè spissa, os & linguam obducebat crusta flavescens & alba, apparuere in fronte exanthemata crocea potius quam rubra, quæ evanuerunt. Misso sanguine, administrato tartaro stibiato, acidis etiam

mineralibus propinatis, quasi curatus omnibus visus est : dum sequenti die, eadem universum corpus occupavit, eruptio modo dicta, cum maculis rotundis, lenticularibus & gangræno dæis, quarto morbi die, omnia ad venæ sectiones instituta vulnera, simul & derepente aperta sunt, & erumpente sanguine ex omni parte, ore, naso, ipsorum ora quasi corrodi videbantur, nec cohiberi potuit sanguis, ita ut hæmorrhagiâ è brachio, pede, extingui potius quam morbo, visus est.

2°. Huic adjungemus quæ à coagulatione fieri dictæ sunt febres, sive à veneno quodam glutinoso, semper tamen nihilominùs acri, glandulosas partes peculiariter affectante, fluida condensante, stringente solida ; hinc circulatio minor, pulsus, depressus, parvus, profundus, degenerationes, stagnationes plus minusve promptæ, solidorumque quasi atonia, unde repelli stagnantia non possunt, atteri spissiora fluida. Huic fortè epiala Galeni vel sudorifica accensenda est, sicut & pestilentiales omnes dicti morbi à citâ devastatione, imò & pestis ipsa, omnesque febres quarum crisis fit in glandulis sive parotidibus, sive inguinalibus, nisi has mors citior prævertat.

3°. Quæ ab alimentis, aëre, contagio, volatile quoddam miasma habet, undè pluribus communis epidemica dicitur ; per urinas, sudores criticè solvitur ordinario. Cerebrum & nervos, non de propriâ suâ indole, sed quasi decubitu aut nervorum communicatione, afficere videtur ; forsàn etiàm humores in primis viis nidulantes quoscumque acres, biliosos, verminosos, pro causâ cognoscit, nervisque mediantibus, successu tantùm tomporis, & morbo progrediente, omnes functiones potest prævertere, destruere ad internecionem usque, eruptioque cutanea vix unquam salutaris, sed sæpè sæpiùs mortis prænuntia est, vel post mortem tantùm apparet, cum citâ cadaveris corruptione.

4°. Quæ fit à cerebri phlogosi & inflammatione ; huc omnes nervosæ dictæ febres referendæ sunt : hujus enim de essentiâ est nervorum affectiones quascumque etiàm contrarias excitare, sic sensationes, distractiones, deliria, phrenitides, subsultûs tendinum, torpores, commotiones, lethargicos, paraliticos affectus, & alia id genus innumera quæ, positâ semel generis nervosi irritatione, fieri possunt ; sæpè etiàm sub pleuritidis, hepatidis, peripneumoniæ, intestinorum nomine inflammationis, incautos fallit Medicos, dùm hanc vel illam nervorum originem, nervos huic vel parti prospicientes irritant.

5°. Quæ fit à retropulso viru quocumque, puta miliari, varioloso, scabioso, herpetico, quod vidi in viro quodam moribus & vitâ verè ecclesiastico ; huic à pluribus mensibus herpes excedens & valdè pruriginosus membra ferè universa depascebat, corpus & animam agripniâ ferè continuâ fatigabat, subitò malè suasis remediis cutis ubique alba & illibata fit, cum delirio, ardore febrili, tendinum subsultibus, sensuum omnium sopore, mentis alienatione, & omnibus ex quibus febrem malignam dictam adesse norunt, & dicunt. Idem forsàn dici posset de omni humore acri, heterogeneo, qui intùs latens, ad cutem appellare tentat, & non potest, sive sit in corpore genitum, aut adventitium : sive etiàm à materiâ putri in primis viis latente, quæ ad sanguinis alveum deportatur, liquidorum, venæ sectionis abusu, aut intempestivâ applicatione topicorum : sive à retentis excernendis, aut resumpto purè è quodam viscere, sive etiàm viru scrophuloso & etiàm arthritico rhumatismali, ubi semel, mediante febre, in motum aguntur, & volatilitatem, acredinem, ad nervosum genus irritandum accomodatas, acquisiverunt.

6°. Quæ fit ab ardore febrili solo, cum, diflatis liquidissimis, sanguis magis ac magis attenuatur, serum in concretionem vix resolubilem tendit, per validum attritum ad vasa, tenerrimos canales destruit, nervorum pulposa stamina pungit & irritat, sales & olea expedit & attenuat, acriora reddit, movet & exhalat. Hinc omnia humorum putridæ degenerationis signa, omnia denique febris dictæ malignæ symptomata, quæ maximè circà quartum aut quintum diem subitò se manifestant. Hæc non per se, sed per accidens maligna dici debet, & forsàn à curâ malè ordinatâ, ægri aut astantium incuriâ, calidorum alexipharmacorum, & id genus remediorum fit abusu. Hic referenda maxima pars morborum quos sive ab imperitiâ, sive ab ostentatione, ut plus præsti-

tisse videantur, clinicis hodiernis quos fecit sors & audacia, placuit maligni nomine insignire, cujus fabricatores sunt, quique nil nisi maligni, nil nisi putridi, (licèt utrùmque non sit confundendum) videntes, ex hac falsâ hypothesi operantes morbum pessimum, mortem operantur. Sæpè in solo paroxismo sese manifestant gravia quæ accidunt symptomata, prout fibra erit vel tensa nimis, vel irritabilis & delicatula, timor & animi affectio morosa, vel vivida apprehendit, ut in vaporosis & hyppocundriacis accidit facilè, & de plano cerebrum afficitur, undè convulsionis omne genus. Hæc multò majorem adhuc habent efficaciam, si æger in locis humidis, carceribus, cum tædio, mærore, vitam degerit aliquamdiù, vel flante à meridie vento, simùl humidum & calidum ubique afflaverit, tunc motis febre fluidis, laxatis solidis, maxima adest ad putridam indolem dispositio, & indè omnia quæ indè sequi possunt mala, ubi semel febris advenerit, quæ vires acquirit eundo.

III.

JAM suprà innuimus febrem dictam malignam, id est, cui inassueta & gravia accidunt symptomata, non esse morbi genus à febre ipsâ distinctum, sed potiùs febris ipsa quæ sub levissimorum symptomatum specie, pessima quæque minatur, & quasi de longinquo meditatur; cujus effectus si curiosiùs examinentur, intensiores sunt, quàm febri ordinariæ competit: cujusque intensitatis causa eodem recidit ac ipsius febris causa proxima, scilicèt sanguinis motus acceleratus, & vasorum maximè capillarium eretismus; licèt ipsa causa proxima undè omnia hæc intenduntur, & mos quem febris ipsa videtur affectare, nos absolutè lateant saltem quoad naturam. Ut autem effectus primarios & proprios dictæ febri malignæ agnoscas, ipsius febris effectus, in gradu intenso sunt considerandi, & etiàm gravissimo supponendi; porrò cum febris nil aliud sit quàm frequentior cordis contractio, cum tensione quâdam, sive erethismo quodam in omni genere vasculoso, truncis scilicèt & capillaribus. Duo ergò præstat necessariò febris, nempè acceleratum sanguinis motum, & in solidis tensionem quamdam, sivè hæc à plethorâ ipsâ fiat, sive à constrictione solâ generis vasculosi, quæ quasi pro spasmi principio, sive primo gradu est habenda, cum à fluxu spirituum inordinato fit, & insuper contrà ipsam naturam. Ex his duobus plura sequuntur necessariò & primariò, sanguinis & vasorum in se mutuò attritus, undè totius corporis calor magis ac magis intensus: sanguinis exsiccatio, difflatâ parte serosâ, & quæ fuerit magis attenuata; ejusdem proindè viscositas & immeabilitas, undè obstructiones in minimis vasis, stases inflammatoriæ, & tandem continuatâ vi cordis & vasorum trusivâ, gangrenodeæ: resolutio cruoris in sales & olea volatiliora, undè vasorum ruptiones, hemorragiæ, petechiæ, vibices & putrida quæcumque, aut maligna, si volueris; plethora notha & vera, sensus plenitudinis, lassitudinis, sensuum mentisque ipsius torpor, anxietates, inquietudines, lumbagines: ab erethismo pulsus, durus, renitens, secretionum ferè omnium diminutio, abolitio, quandoque urina limpida, minimè cocta, maximè si eretismus ille, de quo dicimus, in vasis minimis insideat, sive capillaribus; undè debilitas absque causâ evidenti & ab ipso morbi præludio, virium resolutio, sitis nullo potu temperanda, agripnia, dolor capitis gravativus, lingua sicca quasi sulcata & adusta, nigro obducta sedimento, cutis arida, ad tactum ardens, salivæ inopia & oris crassities, anhelationes oppressivæ, nauseæ, vomitus biliosi, æruginosi, virides, animæ fætor, bilis mordax & exaltata, sæpè in liquamen olidum calore loci conversa, urina pauca, acris, graveolens, stranguriosa, sudor quid cadaverosi exhalans. Hæc ubi per aliquod tempus duraverint, vel etiàm multis ad eumdem scopum concurrentibus causis intenduntur; fluida jàm quid putridi & corrosivi adepta, omnia destruunt, mortem, non vitam disseminant ubique, serum calore adurenti in materiem immeabilem & irresolubilem compactum, brevi in ipsâ viscerum substantiâ hærebit, undè variorum morborum formam induet, illudque fit quod dicimus malignum. Si in pulmonis vasa anfractuosa steterit, peripneumonias, pleuritides, asthmata, tuxis paroxismos mentietur; si intrà venæ portarum dedalæas ambages, hepatides, dyssenterías, colicos dolores, alvi fluxus serosos & tormino-

ſos ; ſi verò meninges, cerebellum; nervorum origines tentaverit illud abſconditum à quo omnis malignitas, tunc aderunt tremores, deliria, phrænitides, paralitici, comatoſi affectus, motitatio linguæ, ſubſultus tendinum, digitorum manuumve motus inconditi, ſuſpiria longa, involuntaria, anxietates, illudque ſemper promiſcuè & abſque ullo ordine & gradu. Quid plura ? mens aliena, convulſiones omnis generis, & ex his infinita quæ ſequi poſſunt mala ; nam ubi læſum, vel in motum actum etiàm à leviſſimâ & inexplicabili causâ ſuppoſueris genus nervoſum, peſſima quæque & inaudita, imò ſæpè & contraria ſimùl expecta ; nec explicare tentes, nam ſuprà rationem mentis & corporis commercium, ſicut & hujus læſiones & functiones. Hinc facilè concipitur quomodò febris quæ primo intuitu nil habet quod reformides, acuta & etiàm peracuta, putrida, & quaſi peſtifera fieri poſſit ex ſe, & abſque ullâ maligni miaſmatis ſuppoſitione ; minimèque ad malignum, putridum aut contagioſum recurrendum eſſe ad explicanda febris malignæ phœnomena ; nam, ut rectè Helmontius, quidquid in ſanis edit actiones ſanas, idipſum in morbis edit actiones vitiatas & depravatas, eòque certiùs & promptiùs, quò intentiori gradu vigebunt cauſæ febrim producentes, & indè primariò calor ſecuturus. Hincque concludere pronum eſt quam citò efficaciſſima ad ea debellanda adhibere neceſſe ſit, ne fortè, cùm principiis non obſtiteris illicò & fortiter, propter temporis anguſtias, occaſionem præcipitem ſerò medicina paretur, cum mala per longas convaluere moras. Quænam illa ſint efficaciſſima ; ſi fortè quæſieris, ex naturâ rei intelliguntur, ſicut ex dictis, ſcilicèt, quæ potentiſſimè, promptiſſimè, efficaciſſimè omni cauſæ, omni ſymptomati, omni principio occurrunt, etiàm abſcondito, fluida diluendo, laxando ſolida

I V.

PORRO inter innumera quæ huic ſcopo poſſunt conducere, putà potus aquoſos copioſiſſimè hauſtos, fomenta, fotus, pediluvia, balnea vaporoſa, cliſmata omni horâ repetita, nullum certè tutiorem, citiorem, efficaciorem ſortiri effectum poteſt, quàm balneum. Modò dictorum vires & facultates poſſidet, promptiùs agit, omnibus providet, omnium bonos effectus promittit & dat, nullius incommoda poteſt habere, dùm eo modo uſurpetur quo ſuos præſtare poteſt effectus ſalutiferos, nempè ubi omnibus quas offert morbi compoſitio, indicationibus ſatisfacere tibi viſum fuerit, nec ab ipſo quid timendum eſſe : ut autem probetur quanta poſſit balneum ad febris dictæ malignæ ferociam domandam, naturam debellandam, lenienda ſymptomata, cauſas deſtruendas, ſanitatem reſtituendam tutò, citò & jucundè, abſque ullo recidivæ metu, & convaleſcentiâ longiori, paucis accipe.

Inſpirabile & expirabile totum corpus agnovit Hyppocrates, unde corpus vel corporis pars liquido immergi non poteſt, quin per vaſorum extrema omni ex puncto hiantia liquorem hauriant contiguum, & in cavum ſuum attrahant, eòque magis, quò, vaſculis ſimul laxatis, major vitæ vis redierit, ſeu vaſorum tonus antea oppreſſus vel debilitatus ; canales enim ex ſe & naturâ ſuâ flexiles, eò minus reſiſtunt liquori appellenti quò latera eorumdem minus reſiſtunt : hinc laxatio minimorum vaſorum efficit ut fiſtulæ tenuiſſimæ reſorbentes facile tradere poſſint abſorptum ſemel ma oribus ramis. Dum quidam curſu fatigatus, vel ſub ſole ardenti iter confecit, ſqualidum corpus, os aridiſſimum habet, ſiti excruciatus continuâ, membra quaſi fracta & pondus inutile trahit ; mirum quomodo poſt balneum ſitis illico extinguitur, os humectatur, totum corpus molle, humidum, agile & ad omnia promptum & expeditum fit. Quantò autem hæc feliciùs & promptiùs ſuccedere debent in febre quam liquidiſſima diſſlare, ex qua ſolida compingi, areſcere, fluida, picea, & immeabilia fieri, diximus ; namque corpus ſiccum & aridum, ſed ſimul ex omni parte bibulum, quàm avidiſſimè attrahit & abſorbet contiguam ſuæ ſuperficiei aquam. Porrò in tali caſu, rite purgato & evacuato corpore, prudenter depletis vaſis, non dubitamus affirmare omnem paginam adimplere balnea maximeque in caſu urgenti & præcipiti, ubi forſan tardiùs lenientia externa & interna, diluentia, emollientia, ſegniùs & tardiùs agerent ; potus ejuſdem proſapiæ inſufficienter

adhiberentur: dum eos æger non fui compos refpuit pertinaciter, vel faltem eâ quâ oporteret quantitate non forbet; five horum faftidio, five etiam quia gravant ftomachum, difficileque digeri poffunt. Morbi igitur naturæ, effectibus primariis ficut & fecundariis, caufifque omnibus efficaciffime occurrunt balnea. Nofti diluens & laxans efficaciùs promptiùfque, à quo nihil timendum fit ex ufu? dic amabo? fibrarum fedat eretifmum, motum fanguinis acceleratum temperat, fanguini & humoribus, dum fe inter ipforum partes intimiores infinuat, nativam reftituit fluiditatem, eorum immeabilitatem & irritabilitatem tollit, omne acre enervat & obtundit; organa fecretoria nimium contracta fic laxat, ut fua faciliùs tranfmittant liquida, fecretiones proinde reftituit; fudori, falivæ, urinæ, muco quovis vehiculum præbet; ut commodè per ejufmodi vias, nocitura exire poffint de corpore; crifi futuræ & neceffariæ, ubi femel de maligno conftat, locum dat, quâ materia morbifica vel è corpore eliminatur, vel faltem, bono omine, ad cutis poros divertit. Impetum & copiam fanguinis à capite derivat & avertit, venæ fectionum, fi fortè initio morbi fuerint omiffæ, vices fupplet, vel ubi, per vires ægri non licet eas, quâ par effet proportione, celebrare. Calori, ariditati occurrit, mala omnia futura & præfentia prævertit & tollit. Sic theoria, fic natura ipfa balnea repetunt quafi remedium omnium præfentiffimum, quodque etiam confirmat & approbat experientia rerum magiftra. Anno 1765, à familiari quodam meo ad cognatum fuum accerfitus qui febri malignâ decumbebat. 17. annum ætatis, morbi vero diem decimum-quartum agebat. Illi delirium ferox & quandoque per intervalla fub obfcurum, fubfultus tendinum quales nunquam inveni crebriores, cutis ad tactum ardens erat, pulfus durus, parvus & profundus, anxietas. Vacuantia & venæfectiones omiffa ufque tunc erant, licet narium hemorragia, à morbi exordio fuiffet vexatus; medici enim vices apud ægrum egerat quidam qui ægrum abfque venæfectione fe curaturum promiferat. Confilium ante omnia expeto: vocatur M. LE THIEULLIER, ex Decanus nofter de fectione faphenæ, veficatoriis ad furas, copiofoferi lactis ftibiati ad granum unum pro potu, clifmatibufque repetitis, fermo eft; hæc præfto funt fed fere incaffum; ne cutem quidem attingunt ampla veficantium emplaftra, fuccedebant nilominus copiofæ alui dejectiones nullo cum levamine; venæfectionem è jugulo celerari jubeo, fedantur ad horas fymptomata, noctem minus inquietam fed infomnem tranfigit; hæcque brevi evanefcunt folatia: furor delirium excipit, cuftodem ictibus afficere tentat, tandem nec fui, nec mentis compos, potum omnem refpuit. Quid agendum? Venæfectiones non permittebant vires fractæ, pulfus parvus & vacillans; fruftraque tentata funt quæcumque in tali cafu efficaciffima docuit experientia. Fratri mortem proximam denuntians, balnea quafi fpem ultimam fuadeo, fpondens nil effe timendum ab eis in prefenti cafu, multaque & optima fperanda effe, modo per tempus, liceret effectum fuum fortiri. Periculum in morâ confilium vocare non permifit, fpem omnem fuam in me libenter remittit, paratur balneum. Intereundum obviam occurrit M. LE THIEULLIER, qui ægrum jam viderat: res ut fe habebant, mentemque meam expono; placent balnea, tamen de prudentia effe dixit ob extremum ægri difcrimen femi-balneum pro prima vice tentare; in femi-balneum igitur deportatur delirans, furens moribundus. Vix aquam fentit, dum omnia quafi de fafcino fedantur, totus in natandi voluptate; natatoris in morem, pede, manu aquam agitat, & ipfe in fuperficiem fertur; ex aquæ murmure affidere fibi voluptatis focium autumat, huic alloquens hortatur ut fecum in plenum fluminis alveum, in quo fe natare dicebat, progrederetur, ibique demonftraret quantâ folertiâ & agilitate fupra ventrem, dorfum aut latera nataret. Poft femi-horam lecto reponitur, remanet tranquillus, fed infomnis. Aftantes ipfi multo majora adhuc fperantes, ad horas vefpertinas balneum requirunt, confidens ego libenter affentio. In balneum integrum per horam & femis immergitur æger nondum fibi redditus, delirans fed non furens. In ipfo balneo per femi-horam dormit, quod nondum fecerat à prima morbi invafione; abfque fomno, fed pacatam tamen noctem habet: valde mane novum, quod jufferam balneum paratur, & horâ feptimâ dum

invifo, lectum repetentem invenio, abfque ullo fere tendinum fubfultu, cutis humidiufcula vifa eft, urinæ fluere ceperunt. Mannæ uncias duas & femis præfcribo cum fero lactis ftibiato pro potu. Interea vocantur MM. BOURDELIN & LE THIEULLIER, uterque ex-Decani noftri meritiffimi; licet res multò meliùs fe haberent quam nudiuftertius, ut teftatus eft Magifter LE THIEULLIER, tamen ægrum in maximo verfari difcrimine, febremque exquifitè malignam pronuntiant omnes uno more; è faphena mitti fanguinem proponitur & illicò celebratur. Unde fed non omnino mens redditur, ægerque, licet præteritorum immemor, balneum enixè exorat, vix ex eo egreffus eft, cum mentis abfolutè compos, divina ecclefiæ facramenta requirit. Per noctem pluribus fomni horis recreatur, pro potu fero lactis ftibiato utitur, decrefcit febris, effugit omne grave fymptoma, die morbi vigefimâ purgatur, ut die vigefimâ-primâ poffet quiefcere, fi quid fortè critici accideret, expectans. Circa meridiem optime fe habens è lecto in fedile longum deponitur duobus munitum grabbatis, quæ, oborto fudore copiofo, tranfudat, ita ut horâ decimâ ferotinâ lecto reftitui tantum potuerit. Sic exinde omni periculo vacavit, & potuit ante quadragefimum morbi diem, patriam, chariffimofque parentes integrâ fruens valetudine repetere. Anno fubfequenti ad puellam 12 annorum natam 7°. morbi die vocor; nec venæfectiones, nec purgantia obmiffa fuerant; pulfus fere nullus, mollis & parvus, in paroxifmo folo pejùs fe habebat, obfcurè delirabat, fubfultus tendinum quidam erant. Sed imprimis fopor quafi apoplecticus obruebat, tuffis importuna & ficca vexabat, incidentia, ftibiata fere fruftra in ufum vocantur; balneum propono, toto ore & oculis hiant chirurgus & aftantes. Quatuor tamen intra totidem dies experitur, non eo tamen fucceffu evidenti, quo in prima obfervatione, donec infciâ etiam ægra, erumperet quafi urinæ torrens, unde inundaret lectum & cubiculum, fic exinde curata fuit, remanfit tamen febricula quædam quæ ad hecticam vergere quafi meditabatur, fed vixit, & vivit optimâ fruens valetudine. Ex quo hacce methodo, febres, ut aiunt malignos mederi, profligare, nobis contigit: vix quartum obiiffe affirmare certò poffumus; notum eft quantâ celeritate, quanto fere dicam incantamento, tribus balneis, diem morbi quadragefimum agens, ex ipfius mortis faucibus, parentibus, amicis, imò & futuræ chariffimæ fponfæ redditus eft contra omnium fpem vir illuft. Marchio de Fleury, eo ipfo tempore quo primâ vice typis hæc thefis publici juris facta eft. Plures ex noftris collegis hanc adhibuerunt, inter quos maximè nominandi funt MM. MALOET & THIERRI DE BUSSY, Medici Caritatis peritiffimi, qui balnea in defperatis cafibus cum feliciffimo eventu adhibuerunt. Inter plura quæ poffem enumerare fufficit obfervatio fequens, ut pote multis & difficillibus malis & feliciffimo fucceffu infignita. Mulier duobus abhinc menfibus juncta marito, poft quafdam graviditatis fufpiciones, à menftruorum remora fubito, ineunte menfe Augufto proximè elapfo, febre acutâ corripitur, cum anxietate, ardore, aphonia, furditate & præcipuè fluxu menfium immodico. Per decem dies nil tentare liquit & fymptomata in dies increfcebant; tandem decimo die ceffante hemorragiâ, pediluvia tentare aufus, eodem die ex bono omine iterata funt, & die fequenti balneum adhibitum, in ipfo balneo tranquilla ægra, identidem dormiens, quafi fanata videbatur, ita ut poft duas horas, vix fe eximi patiebatur, lectum reformidans, & intra obfcurum quoddam delirium noctuque diuque balneum balbutiendo, femper & omni horâ repetens, die fequenti adhibitum eft cum bonis ægræ rebus: at vix egreffa eft cum fingultus corripuit, virium proftratio major & quafi defectio, ita ut ad cordiaca feftinare coactus fuerim; tamen ardore febrili perfiftente, inftinctu ipfins naturæ balnea repetentis, iis infiftere in animo erat cum cordiacis interpolatis & veficatoriis ad furas applicatis. fed inter parentes non omnes confentiebant balneis quod morbi effet effectus, ut fæpe fit, tribuentes; in confilium vocatus eft M. LORRY, qui balnea, veficatoria furis, & cordiaca ubi opus effent, adhibenda fuafit, in maximo & præcipiti verfari ægram periculo non diffimulans. Per horam igitur balneo immergitur femiviva

meliùs se habere videtur & in lecto reposita consistit bonus balnei effectus; itaque alterum horis serotinis suadeo, melius se habet, similiter duobus balneis gaudet die sequenti, per noctem sat sat quieta, circa pectus milliaria quædam ex anthemata alba eruperunt quæ balneis finem imposuerunt & etiam morbo, nam exinde in meliorem statum progrediens intra mensem à morbi invasione sanata est & conjugi incolumis reddita.

Hinc etiam constat quantum febribus malignis medendis conferant balnea & quantùm etiam in omni febre conferrent, si quidem harum principia, ea funditùs diruunt, eretismum nempe fibrarum, & acceleratum sanguinis motum, unde coalescit omnis febris: & ex quo omnia fluunt symptomata, ita ut in febribus malignis ad curandum, in omni alia febre, ne hectica etiam incipiente exceptâ ad impedienda symptomata adhiberi cum cautionibus requisitis suadere fere in animo esset ex theoria & experientia.

V.

NON deerunt forsàn qui calumniam inferant, quasi in anima vili voluissem, adhibito remedio novo & apud authores inaudito, apud clinicos ferè huc usque inexperto, tentare experimentum. Absit! Morbi natura indicabat, suadebant cognitæ balnei proprietates, noxæ quin etiàm balnei, nil ab eo timendum spondebant, suffragabantur felici successu in variolis malè erumpentibus præscripta balnea; ægrorum curatio, dùm, insciis custodibus, in aquam, ut se offert, sese projiciunt, jubet & insuper ratio, anceps potiùs quàm nullum adhibere remedium. Instabunt: premitur balneo superficies corporis, undè sanguis, materia etiàm morbifica ad intùs, pessimo omine, repelli potest, & metasthasi vitalia viscera afficere. Esto, si anteà non fuerint depleta sufficienter vasa, quod ubi factum est, non solùm nil ab eis timendum, sed contrà omne bonum expectandum est, cum, diluto sanguine, laxatis vasis, ad superficiem corporis peccantes humores determinantur, aperiuntur pori cutanei, datur locus transpirationi, vigilantissimæ sanitatis trutici, criticis eruptionibus, urinæ, sudori, quæ ubi levantur symptomata, semper fiunt cum prosperis ægri rebus: nil pectori nec capiti imminet ex balneo, cùm in secunda observatione quasi affici videretur pectus, & ex balneo liberatum fuit, nec ad caput liberandum præsentiùs potest inveniri remedium, & quidem ferè illicò; sed ad summum id efficeret quod ligatura in venæsectione quæ non minùs indè à clinicis melioris notæ præscribitur; ne ergo balnea vituperes, cùm optimia quæque dant, laxando & diluendo, in febre maligna, nullamque vim naturæ inferunt, morbo sublatum sanitatis æquilibrium restituunt; natura, depulsis hostilibus armis, sibi redditur, ut ipsa sola, quod videbitut, loco & tempore agat; quid ergo à tam provida medicatrice non sperandum? Cum ergo theoria & experientia sibi mutuas ferant suppetias circà balneorum usum & utilitatem in febre maligna, quid vetat quin concludamus.

Ergo in Febre maligna Balneum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciscus Therry de Bussy, Consiliarius Medicus Regis ordinarius, in supremo Senatu Parisiensi & scholarum Professor designatus.	*M. Carolus Sallin.*	*M. Petrus Arcelin.*
M. Hugo Gauthier, Bibliothecæ Facultatis Præfectus.	*M. Simon Vacher, Regis Exercituum in insula Corsica Medicus.*	*M. Petrus Chevalier.*
M. Ludovicus-Gilbertus-Alexander Boyrot de Joncheres.	*M. Cosma-Augustinus Lezurier, Chirurgiæ latino idiomate Professor.*	*M. Franciscus Bernard.*

Proponebat Parisiis, JOANNES-BAPTISTA-MICHAEL BUCQUET, Parisinus, saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus. A. R. S. H. 1770.

Typis QUILLAU, Univerfit. & Facult. Med. Typograph. 1770.